

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIX - N. 1

1987

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1987

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
---	---

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI Ex Instructione « <i>Il rispetto della vita umana nascente e la dignità della pro-creazione</i> »	9
---	---

CONGREGATIO PRO CLERICIS

Litterae circulares ad omnes Episcoporum conferentiarum Praesides. De Canonum vestibus choralibus insignibusque	12
--	----

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum quo Indulgentiae plenariae pro Anno Mariali conceduntur	13
--	----

SUPREMUM SIGNATURAEE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Declaratio de recto modo procedendi in declaranda nullitate matrimoniorum suc- cessive initorum	16
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio III)	19
II. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio IV)	68
III. Coetus studiorum « <i>De Sacra Hierarchia</i> » (olim « <i>De Clericis</i> ») (Sessio V)	106

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	149
Notitiae	150
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	151

Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

I

COETUS STUDIORUM
RECOGNOSCENDIS NORMIS GENERALIBUS CODICIS

Sessio III

(diebus 19-23 februarii 1968 habita)

Diebus 19-23 februarii 1968, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis.

Conventibus intererant Rev.mi et Ill.mi sex Consultores, praeter Commissionis Secretarium Adiunctum, qui munere praesidis fungebatur; praeterea aliquos conventus participatus est Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Quaestio proposita, in hac sessione tractanda, erat: legislatio canonica de Privilegiis.

Antequam vero de hac quaestione tractarent huius coetus membra, relationem de priore huius coetus sessione approbarunt, atque animadversiones nonnullas proposuerunt de canonibus titulum Codicis « De legibus » et titulum « De consuetudine » respicientibus, et alias etiam mutationes introducendas in textu canonum antea admissas approbarunt.

Ad quaestionem de Privilegiis vota ad Commissionis Secretariam miserunt Ill.mi et Rev.mi septem Consultores.

I

DISCEPTATIO « DE LEGIBUS » ET « DE CONSUETUDINE »

(can. 8 ad 30 Codicis)

Ad textum aliquorum canonum tantummodo animadversiones faciunt coetus Consultores, proponentes ut quaedam introducantur mutationes in textu, qui in priore sessione adprobatus est.

1. *Ad canonem 9, § 2*

— Primus Consultor proponit ut auferatur particella « ex » et

textus sit « ... ut eodem tempore quo in urbe ... ». Praeterea aestimat promulgationem legum fieri debere in A.A.S.

— Alter Consultor aestimat textum § 2 non esse servandum et sufficere textum Codicis can. 9.

— Tertius Consultor censet inconvenientem esse proximam hodiernam, in qua Episcopi exsistentiam legum ecclesiasticarum cognoscunt ex Ephemeridibus tantum. Tamen aestimat promulgationem fieri debere in A.A.S., instans ut A.A.S. frequentius publicentur.

— Quartus Consultor censet praescriptum huius paragraphi odiosum esse pro Conferentiis Episcopalibus et impossibile esse ut textus legum in variis territoriis publici iuris fiat eodem tempore quo in urbe, si leges ante promulgationem in Ephemeridibus divulgantur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit non convenire ut Episcopi notitiam habeant legum postquam textus iam divulgatus est in Ephemeridibus.

Est Consultor qui censet hoc esse fere impossibile quia textus legum eodem die quo in urbe divulgatur per telephonum toto mundo communicatur, et de facto non servatum iri secretum.

Rev.mus alter Consultor animadvertisit praescriptum huius paragraphi contrarium esse praxi sic dictae « Sala Stampa » ubi datur Summarium Notiarum quod statim toto mundo communicatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus tenet textum legum Episcopis communicandum esse antequam sic dicta « Sala Stampa » Summarium legum mundo communicet.

Adhuc alter Consultor censet hoc theoretice optimum esse, sed multis in praxi difficultatibus ansam praebere posse quia aestimat ipse perdifficile esse secretum servari.

Quidam Consultor proponit ut textus legum sub secreto Episcopis communicetur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus tenet illum textum provisorie admitti posse quia omnibus consultoribus placet. Notificabitur Commissioni S.R.E. Cardinalium difficultas de secreto.

2. *Ad canonem 12*

Duo clarissimi Consultores quaestionem ponunt utrum legibus ecclesiasticis obligari debeant omnes baptizati, an soli baptizati in Ecclesia catholica et ad eam conversi, et proponunt ut clare doctrina iuridica exponatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet hanc quaestionem iam antea solutam esse, nempe in II sessione, in qua probatus est textus propositus, forma positiva redactus: « legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, et quidem soli baptizati qui sufficienti rationis usu gaudent ... ». Dicendo « soli baptizati » pro quibus latae sunt, praevideatur a certis legibus aliquos eximi posse; ita positive pro certis legibus praevideri potest ut iidem soli baptizati in Ecclesia catholica aut in eadem plene recepti teneantur.

Quidam Consultor ad vitandas repetitiones proponit ut textus forma positiva redactus hoc modo commutetur: « legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati, pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent ... etc. », ita ut omittantur verba « et quidem soli baptizati ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus petit utrum textus propositus, forma positiva redactus, placeat annon.

Consultores omnes respondent: placet.

3. Ad canonem 13

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit novam paragraphum 2 am quia aliqui Consultores aestimant textum propositum non esse sufficienter clarum:

« A legibus autem universalibus quae in certo territorio non vi gent, *eximuntur* ii qui in hoc territorio degunt, sive sint subditi sive sint peregrini ».

Est Rev.mus Consultor qui aestimat textum non esse sufficienter clarum.

Alter Consultor proponit ut ponatur verbum « commorantur » loco « degunt ».

Proponit autem Rev.mus Secretarius Adiunctus hanc novam formulam paragraphi 2ae:

« A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non vi gent, *eximuntur* omnes illi qui in territorio actu versantur ».

Placet omnibus.

4. Ad canonem 15

1. Quidam Consultor proponit ut terminologia circa dubium perficiatur et dicatur: « in dubio positivo et probabili ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit numquam adfuisse difficultatem de hoc canone in commentariis.

Notat Rev.mus Consultor in canone 209 haberi aliam formulam, videlicet « in dubio positivo et probabili ».

Animadvertisit alter Consultor in can. 209 quaestionem esse de iurisdictione, non vero de dubio circa leges.

2. Notat etiam tertius Consultor quod in hoc canone agitur de legibus *universalibus* tantum.

Respondit unus e Consultoribus in normis generalibus semper agi de legibus universalibus.

E contra, aestimant tres Consultores, inter quos Rev.mus Secretarius Adiunctus, in normis generalibus agi de omnibus legibus. Nam notat Rev.mus Secretarius Generalis etiam Episcopum dioecesanum dispensare posse a legibus universalibus, nisi affirmetur solam Sanctam Sedem facultatem habere dispensandi.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut in canone proposito adiungatur verbum « universales » post verbum « leges ».

At Consultores omnes concordant ut canon remaneat uti est.

5. *Ad canonem 20*

Rev.mus quidam Consultor proponit ut verbo « aequitate » adiungatur « canonica ».

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus verbum « aequitas » notionem moralem esse et rogit quomodo aequitas canonica differat ab aequitate naturali. Aestimat etiam aequitatem naturalem esse servandam.

Rev.mus Consultor concordat cum socio qui « Canonicam » aequitatem mavult.

Est denique qui censem reliquendum esse textum uti est.

Servatur textus uti antea probatus est, et de eo omnes Consultores concordant.

6. *Ad canonem 22*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit verbum « *minime* » (derogat) loco verbi « *nullatenus* », latinitatis causa.

Placet omnibus.

Ill.mus Consultor est qui quaerit utrum necessaria sit illa parenthesis (firma praescriptio can. 6, n. 1).

Respondit Rev.mus Secretarius Adiunctus se usque adhuc nescire utrum can. 6 maneat an non; ergo censem necessariam esse parenthesim.

7. *Ad canonem 28*

Quidam Consultor proponit ut formula « consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut praeter legem canonicam ... » hoc modo immutetur « consuetudo vigenti iuri canonico contraria inducta... ».

Vocabulum « inducta » non placet Consultoribus et Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hanc formulam:

« Consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam... etc. ».

Placet omnibus.

II

DISCEPTATIO « DE RESCRIPTIS »

(cann. 36-62 C.J.C.)

1. *Ad canonem 6 (40-42)*

Hic quaestio fit utrum tenenda sint verba « obreptio » et « subreptio » in canone.

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet haec verba tenenda esse quia sunt verba quae valorem historicum habent.

Cum eo consentit alter Consultor, et ipse aestimans retinendas esse expressionem et notionem istorum verborum.

(*Obreptio* seu expositio falsi et *subreptio* seu reticentia veri).

Aestimat Ill.mus Consultor dicendum esse « secundum iurisprudentiam *canonicam* ».

1. Rev.mus Secretarius Adiunctus itaque proponit ut exceptio de rescriptis « motu proprio » canonis 7 (45) ponatur in § 1 canonis 6 (40-42) ita ut paragraphus 1^a sic sonet:

« Validitati rescriptorum obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonica ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen rescripta “motu proprio” data sint ».

Notat Rev.mus quidam Consultor quod subreptio seu reticentia veri opponitur liceitati non autem validitati rescriptorum.

E contra, est Rev.mus Consultor qui affirmat quod conditio « si preces veritate nitantur » se refert ad subreptionem; ergo reticentia veri opponitur validitati rescriptorum.

2. Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit textum sequentem pro paragrapho 2a:

« Item validitati rescriptorum obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera ».

Rev.mus Consultor qui supra quaestionem ponit utrum can. 42 § 2 se referat tantum ad obreptionem an etiam ad subreptionem.

Est qui respondit canonem 42 § 2 se referre sive ab obreptionem sive ad subreptionem, quia causa quoque modo potest esse falsa.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut tertia paragraphus canonis 6 sit textus canonis 41, scilicet:

« quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est executor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis ».

Consentiant omnes de textu proposito can. 6 (40-42) §§ 1, 2 et 3.

2. *Ad canonem 8 (43)*

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem ponit utrum S. Congregatio dare et restringere possit rescriptum tantum ad forum internum.

Aestimat Rev.mus Consultor supprimenda esse verba in § 1a inter parentheses notata « salvo iure S. Poenitentiariae ».

Notat Rev.mus Secretarius Adiunctus quod melius est forsitan supprimere § 2 et delere verba in § 1 inter parentheses notata.

Consentiant omnes.

Est Consultor qui censet supprimenda esse verba « excepto ipso Summo Pontifice », quia notat et ipse, una cum socio, Sacras Congregationes, nomine Summi Pontificis, munus explere.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus casus dari in quibus ipse Summus Pontifex personaliter dispensationem concedit.

Instat Rev.mus Consultor de quo supra dicendo quod, ratione brevitatis canonis, verba « excepto ipso Summo Pontifice » supprimenda sunt.

Tandem est qui proponit ut loco « excepto ipso Summo Pontifice » ponatur « infra Summum Pontificem ».

Consentiant omnes.

3. Ad canonem 9 (44)

Rev.mus Consultor duas difficultates circa hunc canonem facit:

- a) canon mentionem non facit de Religiosis;
- b) loco « Ordinario alius dioecesis » censet melius esse ponere verba « Ordinario non proprio ».

Haec est ratio: si quis duo domicilia habet in duabus dioecesibus petere potest ab altero gratiam a primo denegatam; uterque Ordinarius esset proprius.

Mens legislatoris erat quod si proprius negat alius ordinarius non concedat.

Est qui proponit ut dicatur « ab alio Ordinario », loco « ab Ordinario alius dioecesis ».

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod « Ordinarius » potest esse etiam Vicarius Generalis et pro Vicariis Generalibus alias normas in can. 44 § 2 habemus. Ergo vitanda est confusio.

Instat Rev.mus Consultor qui supra quod in paragrapho prima agitur de omnibus ordinariis, excepto Vicario Generali, de quo in §§ 2-3 agitur.

Est alter Consultor qui accedit ad suggestionem prioris Consultoris, sed proponit ut in fine § 1 adiungantur verba « *salvis praescriptis §§ 2 et 3* ».

Concordant omnes de suggestionibus utriusque Consultoris.

Ideo textus canonis hoc modo mutatur:

Canon 9:

§ 1. *Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.*

4. Ad canonem 10 (46)

Animadvertisit Rev.mus Consultor casu quo rescriptum est contra ius quae situm, eum cui hoc ius est renuntiare posse.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus eum qui renuntiat non amplius habere ius quae situm.

Textus remanet uti est probatus.

5. Ad canonem 11 (47)

Suggerit Rev.mus Consultor ut dicatur « substantialis dubitatio ». Respondet alter Consultor dubitationem esse semper substantiale. Omnibus consentientibus remanet textus uti probatus est.

6. Ad canonem 12 (48 § 3)

Rev.mus Consultor censet in § 3 non dici quo sensu rescriptum irritum sit, ob vitium obreptionis vel subreptionis.

Rev.mus alter Consultor proponit ut adiungatur « necne » post verba « irritum sit ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut adiungatur « Ratione obreptionis vel subreptionis » post verbum « utrum ».

Rev.mus Consultor proponit ut adiungatur « in utroque casu » id est in dubio de natura vel prioritate rescripti.

Ill.mus Consultor proponit hanc novam formulam paragraphi: « In dubio utrum unum vel alterum rescriptum irritum sit... etc. ».

Est Consultor qui censet melius esse vocabulum « utrumque » loco « utrum ».

In fine omnes consentiunt cum suggestionibus nonnullorum Consultorum.

Ideo textus canonis 12 (48 § 3) remanet uti est: « in dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad resribentes ».

7. Ad canonem 13 (49)

Petit quidam Consultor utrum illa verba « nec debent ad casus alios praeter expressos extendi » tribuenda sint rebus vel etiam personis.

Utrisque, respondit Rev.mus Secretarius Adiunctus.

Canon omnibus placet uti est.

8. Ad canonem 15 (51)

Proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus ut dicatur in hoc canone « oporteat » loco « oportet ».

Est Rev.mus Consultor qui praeferat « oportet » uti est in canone quia particella « cum » est temporalis non causalis.

Replicat Rev.mus Secretarius Adiunctus particellam « cum » esse causalem; ergo aestimat praeferendam esse formam coniunctivam.

Aestimat alter Consultor particellam illam « cum » esse conditio-nalem, ergo melius esse « oporteat ».

Omnis consentiunt in paeferendo verbo « oporteat » loco « oportet ».

9. *Ad canonem 24 (novum)*

Animadvertisit Rev.mus Consultor obligationem esse posse « non canonicam », sed tantum moralem »; in hoc casu rescriptum ad bonum proximi adhibendum esse.

Alter Consultor aestimat textum, uti est, clarum esse quia Codex obligationes iuridicas statuit, non morales.

Replicat prior Consultor dicendo textum clarum esse, sed non valere pro omnibus obligationibus.

Affirmat Rev.mus Secretarius Adiunctus nullam gratiam obligare posse in conscientia si rescriptum obligationem iuridicam non habet.

Omnis consentiunt ut textus remaneat uti est.

III

DE PRIVILEGIIS

(Cann. 63-79 C.I.C.)

DISCEPTATIO DE TITULO ET DE NOTIONE PRIVILEGII

1. *Quaestio fit de titulo:* an iuridico-canonicum institutum de pri-vilegiis in novo Codice retinendum adhuc sit necne.

Rev.mus Secretarius Adiunctus legit votum cuiusdam Consultoris absentis a sessione coetus, circa titulum de privilegiis.

In suo voto Rev.mus Consultor declarat « Plura tamen esse in Ec-cllesia “vera privilegia”, scilicet, iura obiectiva favorabilia praeter vel contra legem, ab auctoritate personis vel locis concessa, sine vi legis, et quidem generatim ad bonum particulare ».

Ipse Rev.mus Consultor tenet: « Haec privilegia, personalia vel realia » abolenda esse quia:

— extollunt inaequalitatem odiosam inter membra Populi Dei et hodiernae menti hominum repugnant;

- favent « paternalismo » superiorum;
- favent « comercio » rerum spiritualium praetextu taxationis pro concessione privilegiorum;
- opponuntur conceptui « servitii » et accedunt potius ad conceptum quo quis aliis ditione fit, plura p̄ae aliis habens.

In fine ita concludit:

- a) Titulum « De privilegiis » penitus omitti debere: ea quae in hoc titulo retinenda sint sub titulo De legibus ponenda esse;
- b) Privilegia tantum realia favenda esse, id est, non in sui ipsius favorem constituta, sed ut instrumenta, adnexa officiis, in bonum commune.
- c) Etiam privilegia quae in Codice continentur, adnexa v.gr. statui clericorum, vel religiosorum, recognoscenda esse, ut quam maxime unitas et aequalitas foveatur et diversitas tantum sustineatur quando vere necessaria fuerit ».

Est Rev.mus Consultor e contra qui censem etiam in novo *C.I.C.* iuridicum institutum de privilegiis, tenendum esse et fideliter observandum. Rationes autem hae sunt, quae sequuntur:

a) « Prima: eiusdem iuridici instituti, potissimum in Ecclesia Christi, quandoque necessaria, quandoque vero saltem utilis sic dicta *missio functionalis*. Ecclesia equidem, cuius missio est omnes, singulas quoque, animas ad Christum adducere, omnibus mediis, ad hunc finem assequendum, indiget. Etiam iuridico-canonicō instituto privilegiorum, his postremis intellectis non quidem in eorundem peiorativo sensu, sed in illo historia Iuris Canonici elaborato, perpolito atque in ipsum Codicem recepto. Privata abs dubio agendi norma — unde et eorundem traditionale nomen —, singulare, anomalum, extraordinarium ius inducens, sed et insuper, singulis vel personis vel coetibus, vel etiam casibus concessa, ast uti iurisconsultus Paulus aiebat: « Propter utilitatem aliquam auctoritate constituentium introducta ».

b) « Secunda: ob eiusdem iuridico-canonicī instituti historicum pondus, non modo in romana societate sive gente, vigentes, verum quoque totius ecclesiasticae Historiae decursu. Unde valet in casu principium: « ab eo quod a longo tempore aequum visum est non est temere recedendum ». Neque valeret obicere: hodierna nostra societas valde immutata apparet atque distincta a vetere. Ergo institutum

de privilegiis delendum. Respondemus: distinguamus antecedens. Valde distincta apparet haec nostra societas ab illa vetere quoad plurima, concedendum. Etiam eo usque ut iuridicum institutum de privilegiis vel inutile, vel noxium evaserit, omnino negandum. Quo pluroribus iisque iustioribus legislator praeditus sit legiferis instrumentis, eo iustiores, quinimmo et efficaciores ipse dare poterit gubernandi normas. Ergo tale iuridico-canonicum institutum etiam sub futuro Codice feliciter retinendum ».

c) « Tertia: allatae rationes in contrarium nihil valere videntur. Ecclesia non est de hoc mundo, licet in hoc mundo vivat suamque divinam explicet missionem. Date Caesari quae sunt Caesaris, Deo autem quae sunt Dei, docuit nos Christus. Ecclesia divinas, non autem politicas multoque minus diversorum regiminum terrenalium sequitur labiles formas ac rationes. Propriae fundamentali constitutioni hierarchico-monarchicae, utpote a Christo acceptae, renuntiare nequit.

« *Conclusio*. Tum ob functionalem missionem legiferam, tum ob historicum pondus, tum denique ob non mutatas circumstantias ex quibus vel inutile, vel noxium iuridico-canonicum institutum de privilegiis efficeretur, videtur concludendum idem institutum etiam in futuro Codice I.C. fideliter asservandum esse. Quinimmo pastoralibus prementibus nostri aevi necessitatibus — quibus consulere Oecumenicum Concilium Vaticanum II ex intento curavit — tale institutum, pro posse, efficacius reddendum esse ».

Censem Rev.mus quidam Consultor in titulo V libri I C.I.C. (cann. 63-79) agi de privilegiis in genere, non autem de concretis privilegiis. Proinde illa, quae hic dicuntur, dispositiones indolis formalis consti-tuunt. Porro notat has dispositiones habere evolutionem per plura saecula, ita ut redactio earum sit ad modum synthesis studii, quo auctores tractatum de privilegiis per tot saecula elaborarunt ».

Aestimat ipse quidem non excludi ulteriore evolutionem huius tractatus: attamen, quatenus hic agatur de dispositionibus formalibus, non videtur hic se imponere necessitas renovationis fundamentalis, scilicet ratione doctrinae Concilii Vaticani II vel exigentiarum temporis.

Animadvertisit vero Rev.mus idem Consultor quod attinet doctrinam Concilii Vaticani II difficultatem forte fieri ex eo, quod haec doctrina Ecclesiam habet Populum Dei. Iamvero inter membra qua talia Populi Dei haberi debet iuridica paritas, qua privilegia excluduntur. Respondendum esse videtur hanc paritatem exigere, ut privilegia ab omnibus acquiri possint suppositis iisdem (pro omnibus) causis seu

motivis seu etiam meritis, propter quae opportune forte privilegium concedatur.

In fine ipse Rev.mus censet quod etiam in posterum habebitur necessitas, ut in Ecclesia praeter vel etiam contra legem facultates istae concedantur. Etsi enim lex de se omnes tenet, pro quibus lata est, norma lata pro communitate non potest (nec debet) ita redigi, ut omnes casus particulares comprehendantur. Hinc opportunum et congruum est, ut media habeantur, quibus casibus particularibus provideri possit. Iamvero inter haec media sunt etiam privilegia.

2. Aestimat Rev.mus Secretarius Adiunctus vocem « privilegium » hodie ambiguum esse: quandoque sumitur sensu stricto, de actu administrativo, quandoque sensu lato, de privilegio per legem aut consuetudinem inducto aut per praescriptionem acquisito. Hoc vocabulo enim designatur non tantum privilegium per actum particularem concessum, quod privatum vocant uni vel pluribus personis singularibus physicis vel moralibus concessum, aut praescriptione acquisitum, sed etiam privilegium in lege generali vel particulari contentum. Vocabulum « privilegium » melius reservaretur soli favori per actum particularem concesso. Lex aut consuetudo statutum favorable inducens est lex aut consuetudo et normis regitur legi aut consuetudini propriis. Solum privilegium per actum particularem concessum est actus administrativus et in forma seu *formaliter* est privilegium.

Est Rev.mus Consultor qui quaerit utrum servanda sint privilegia clericorum, ex. gr. exemptio clericorum a servitio militari.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus secundum schema elaboratum a Coetu « De clericis » privilegia illa esse abolita.

Quidam Consultor aestimat quoad servitium militare doctrinam de recusatione propter rationes conscientiae permittere clericis exemptionem a servitio militari.

Rev.mus Onclin animadvertisit alias Societas civiles privilegium exemptionis a servitio militari non recognoscere sed illud privilegium concedere modo speciali, id est, sive clericos ad servitium sanitarium mandando, sive (ut in Hollandia) clericos in singulis annis a Regina a servitio militari eximendo.

Ill.mus quidam notat in U.S.A. neque clericum catholicum neque Ministrum alius religionis ad servitium militare teneri.

Alter Consultor animadvertisit in Germania clericos qui aetate servitii militaris ad diaconatum et presbyteratum accesserunt, militiae vaccinatione frui.

Est Ill.mus Consultor qui putat vocem « privilegium » aliquam confusionem afferre. Auctores in alta media aetate loquebantur de privilegiis ut aliqua praerogativa etiam iure divino data. In Ecclesia ante Decretum Gratiani vocabulum « privilegium » designabat iura singularia certis Ecclesiis concessa, in iure romano vocabulum « privilegium » adhibitum erat sive pro exceptione a legi communi statuta pro persona singulari sive pro iure quodam speciali pro certis classibus personarum.

Rev.mus Secretarius Adiunctus legit can. 140 I^{ae} Sessionis coetus De clericis circa servitium militare:

« § 1. Servitium militare statui clericali minime congruit. Quare clerici militiam ne capessant voluntarii, nisi, cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint. Exemptionibus a servitio militari utantur quas in eorum favorem concedunt leges civiles propriae Nationis conventiones eandem inter et auctoritatem ecclesiasticam competendem initae, nisi in casibus particularibus Ordinarii aliter decernendum censuerint ».

Quidam Consultor affirmat quod fundamentum competentiae derivatur a propria natura. Declarat se contrarium esse etiam privilegio exemptionis pro Religiosis.

Rev.mus alter Consultor aestimat Ecclesiam renuntiare non posse omnibus privilegiis coram civili potestate.

Ill.mus tertius denique Consultor aestimat in Codice tantum de privilegiis canonici tractari posse non autem de privilegiis in ordine ad societatem civilem.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertis confusione oriri posse inter privilegium ut legem privatam et privilegium per actus administrativos datum; aestimat privilegium proprie dictum seu formaliter acceptum esse actum administrativum quo favor uno vel pluribus conceditur. Non est formaliter privilegium lex specialis uti est ex.gr. facultas parochis concessa confirmationem conferendi in specialibus casibus: non est privilegium, sed lex; privilegium datur per actum administrativum certis personis nominatis.

Rev.mus Consultor item aestimat vera privilegia fuisse in eorum initio et praesertim ob specificum legislativum mechanismum quo inducta fuerunt, praesertim illa quae per peculiarem actum competentis superioris concessa sunt; alia vero, sive in corpore iuris clausa, sive etiam in hoc Codice contenta verae leges sive universales, sive particulares dicenda sunt: ex. gr. ipse Rev.mus Consultor aestimat veras

leges esse facultates Episcoporum in « Pastorale Munus », II parte, contentas.

Est Rev.mus Consultor qui notat privilegium non constituere ius subiectivum, sed favorem concessum; aestimat, hac ratione, privilegium normam activitatis constituere ideoque ius obiectivum.

Rev.mus alter Consultor putat hanc disceptationem esse de verbo non de substantia.

Instat Rev.mus Secretarius Adiunctus ex ipso vocabulo « privilegium » oriri confusionem, ergo loquendum esse etiam de verbo, non tantummodo de substantia.

Rev.mus Consultor affirmat omnia privilegia sensu improposito « privilegia » vocari.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut circa privilegia clarae distinctiones et categoriae introducantur.

Ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus aestimat privilegium esse actum iuridicum specialem Superioris in favorem personarum quae in particulari determinantur.

Denique Rev.mus Consultor qui hanc quaestionem putat esse de verbo et non de substantia, consentit cum Rev.mo Secretario Adiuncto et proponit ut ex prima paragraphe canonis 63 privilegia « per consuetudinem » et « per modum legis » necnon et « per praescriptionem » tollantur ita ut paragaphus sonet: « Privilegia ad omnibus acquiri possunt per actum peculiarem competentis auctoritatis ».

Est Rev.mus Consultor qui aestimat imprimis agendum esse de privilegiis, deinde de rescriptis.

Quidam Consultor una cum Rev.mo Secretario Adiuncto respondet privilegia non esse confundenda cum rescriptis, et non omnia rescripta esse privilegia, sed alios quoque favores continere; rescriptum, quod magis generale est quam privilegium, priore loco considerari debet.

Rev.mus Secretarius Adiunctus suffragium petit de hac quaestione: utrum Consultores consentiant de reservando vocabulo Privilegium iis favoribus qui per actus administrativos non autem per legem neque per consuetudinem concedantur, aut qui per praescriptionem acquiruntur.

Est qui respondet se consentire ut vocabulum « privilegium » iis favoribus qui per actus administrativos conceduntur reservetur.

Aestimat tamen quod fontes privilegiorum remanere debent tum lex tum consuetudo, tum etiam ipsa praescriptio; verum tamen, ta-

libus iuribus semel productis, eadem non privilegia, sed leges, consuetudines vel iura praescripta dici debent.

Alter Consultor non consentit et proponit ut vocabulum « privilegium » servetur etiam pro privilegiis per legem aut per consuetudinem concessis.

Denique, quattuor Consultores una cum Rev.mo Secretario Adiuncto consentiunt ut vocabulum privilegium favoribus per actum administrativum concessis reservetur.

RECOGNITIO CANONUM « DE PRIVILEGIIS »

1. *Ad canonem 63, § 1*

Rev.mus Secretarius Adiunctus post disceptationem de titulo, proponit formulam primi canonis de privilegiis, modo sequenti conceptam:

« Privilegia, quae sunt favores contra aut praeter legem concessi per actum administrativum in favorem personae physicae vel moralis, concedi tantum possunt a personis competentibus ad normam iuris universalis aut particularis ».

Hic oritur quaestio de auctoritate competenti ad privilegia concedenda.

Rev.mus Consultor animadvertisit Codicem orientalem non facere distinctionem inter potestatem iurisdictionis et aliam publicam ecclesiasticam potestatem in auctoritate competenti (cfr. can. 305 De verborum significatione pro Ecclesiis Orientalibus).

Alter Consultor aestimat potestatem dominativam publicam potestati iurisdictionis assimilatam esse.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit iuris divini non esse quod soli clerici potestatem iurisdictionis in Ecclesia obtinere possunt; tamen affirmit ipse solos clericos habere potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis cum ordine conexam (can. 118). Est Rev.mus Consultor qui putat strictissimam esse relationem inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit tamen esse casus in quibus illam relationem inter duas potestates non existit, ex. gr. sunt Abbates nullius qui non habent potestatem ordinis, habent vero potestatem iurisdictionis; sunt moniales quae potestatem ordinis non habent, et tamen communionem distribuere possunt.

III.mus quidam Consultor mentionem facit de iudicibus laicis qui in causis stricte iudicialibus potestatem iurisdictionis exercuerunt et de laicis qui baptismum conferre possunt.

Addit Rev.mus Secretarius Adiunctus etiam ineuntes matrimonium sibi sacramentum conferre.

Animarvertit quidam Rev.mus Consultor omnes homines baptismi ministros esse.

Rev.mus alter Consultor consentit de hac assertione, tamen aestimat laicos in conferendo baptismum aliquam sacram potestatem exercere.

Rev.mus tertius Consultor suggerit locutionem « a competenti auctoritate » loco verborum « e personis competentibus ».

Petit III.mus quartus Consultor utrum privilegium altaris privilegiati detur Ecclesiis an personae morali vel communitati quae est in eadem Ecclesia.

Respondet Rev.mus Consultor quod privilegium locale conceditur Ecclesiae tanquam personae morali.

Unus e Consultoribus cum Secretario Adiuncto addunt privilegium altaris favorem esse qui per actum particularem conceditur alicui personae quae cum loco aliquo connexionem habet vel alicui peregrinationi, quia privilegium locale cum aliquo loco vel aliqua immagine semper connexum est, sed datur in favorem personarum.

Est Rev.mus Consultor qui proponit in fine hunc textum canonis:

« Privilegia sunt favores contra vel praeter legem qui personis sive physicis sive moralibus, per actum administrativum, a competenti auctoritate conceduntur ».

Rev.mus Consultor censet dicendum esse « favores contra aut praeter legem in bonum personarum sive physicarum sive moralium... ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit duplcem formulam huius canonis: Can. 1 (63):

« § 1. Privilegia, quae quidem sunt favores contra aut praeter ius in bonum certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum (administrativum) facta, a sola auctoritate ad eadem elargienda ad normam iuris competenti concedi possunt ».

Vel:

« Privilegia, quippe quae sint favores (gratiae) in bonum certarum personarum, sive physicarum sive moralium, contra aut praeter ius facti, concedi tantum possunt (a competenti auctoritate) ab auctori-

tate quae ad normam iuris potestate exsecutiva ad eadem elargienda gaudet ».

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut in textu a Rev.mo Secretario Adiuncto proposito verba « quae quidem sunt favores contra aut praeter ius » omittantur. Aestimat enim non necessariam esse illam definitionem in corpore canonis.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet verba illa servanda esse, etiam propter comparationem cum can. 80 de dispensationibus ubi dicitur « dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio... ».

Rev.mus Consultor aestimat illa verba non esse definitionem. Deinde ipse proponit ut loco « in bonum » dicatur « in commodum ».

Rev.mus alter Consultor praefert vocabula « in bonum spirituale ».

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit difficultem esse distinctionem inter privilegia data « in bonum » et privilegia data « in bonum spirituale ».

Ill.mus quartus Consultor putat non omnia privilegia « in bonum spirituale » esse: ex. gr. distinctionem Principi pagano concessam.

Rev.mus quintus Consultor respondet omnia privilegia, saltem indirecte, in bonum spirituale esse.

Omnes Consultores concordant ut simpliciter dicatur « in bonum ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut loco « quae quidem sunt favores » dicatur « seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae... ».

Consentient omnes.

Rev.mus Consultor querit an sit melius dicere « factae » vel « factiendae ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem ponit utrum verba « contra vel praeter ius » remanere possint necne.

Omnes concordant ut verba ista remaneant, excepto Rev.mo uno tantum Consultore.

Est Consultor qui aestimat ultimam phrasim « a sola auctoritate etc. » nimis longam esse.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus saltem retinendam esse phrasim « a competenti auctoritate ad normam iuris ».

Ill.mus Consultor putat esse competentiam quae non est ad normam iuris et proponit ut dicatur « gratiae quae contra ius fiunt, concedi possunt ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus praefert verbum « factae » non autem « fiunt ».

Est alter Rev.mus Consultor qui putat verbum « administrativum » non esse necessarium.

Quidam Consultor quaerit utrum melius sit dicere « determinatarum personarum » loco « certarum personarum ».

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus latine melius esse verbum « certarum ».

Alter Consultor proponit ut supprimantur etiam verba « ad eadem elargienda ».

Concordant omnes.

Rev.mus Secretarius Adiunctus legit textum definitivum cum variis suggestionibus:

Canon 1 (63)

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent ».

2. Ad canonem 63, § 2

Possesiso centenaria vel immemorabili praesumptionem includit concessi privilegii.

Haec paragraphus, secundum omnes, servari debet.

3. Ad canones 64-65

Hic quaestio fit utrum privilegia per communicationem servanda sint in Codice necne.

Aestimat Rev.mus Secretarius Adiunctus eadem tolli posse.

Rev.mus Consultor proponit ut canones 64-65 tollantur ut inutiles quia applicationem amplius non habent.

Consentient omnes ut iidem canones tollantur.

4. Ad canonem 66 § 1

Rev.mus Secretarius Adiunctus aestimat hunc canonem 66, § 1 remanere posse, quia in hoc canone definiuntur facultates habituales, quae accensentur privilegiis praeter ius, quae vero sunt late interpretanda.

Rev.mus Consultor aestimat hunc canonem servandum esse (tamen non inter canones qui de privilegiis tractant), tantummodo si facultates habituales, quinquennales vel decennales, manere debeant.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit facultates habituales remanere, quia sunt facultates reservatae Summo Pontifici quae possunt dari Episcopis habitualiter. Nam, arguit ipse Rev.mus, hodie v.g. dici non potest quod Episcopi dispensare valent in impedi-

mento aetatis ordinationis — supra annum — quia, ut in Decreto « Pastorale munus » statuitur, infra annum tantum possunt Episcopi dispensare, ultra autem annum competit dispensatio solae Sanctae Sedi.

Consentiant omnes ut can. 66, § 1 remaneat uti est in Codice.

5. *Ad canonem 66, § 2*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut loco verborum « aliisve de quibus in can. 98 § 1 » dicatur « aliisve eidem (Episcopo) iure aequiparatis ».

Rev.mus Consultor animadvertisit has facultates aliis delegari non posse ab Episcopis, praeter quam Coadiutori, Auxiliaribus vel Vicario Generali.

Rev.mus Secretarius Adiunctus legit textum Decreti « Pastorale munus » qui ita sonat: « Quoniam de facultatibus praestantissimis agitur, eas ita concedimus, ut aliis delegari ab Episcopis non possint, praeter quam Coadiutori, Auxiliaribus et Vicario Generali, nisi in singularum facultatum concessione aliud expresse caveatur », et proponit ut duplex paragraphus de paragrapo secunda componatur sequenti modo:

« § 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa fuerit industria personae, facultates habituales Episcopo, aliisve eidem iure aequiparatis, ab Apostolica Sede concessae, non perimuntur resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi coepit, sed transeunt ad Ordinarium qui ipsi in regimine succedit ».

Rev.mus Consultor proponit ut dicatur « ad quemvis Ordinarium » loco « ad Ordinarium », ad vitandum ne textus de solo successore Episcopi intelligi possit.

Consentiant omnes.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hunc textum § 3 a Motu proprio « Ecclesiae Sanctae » substantialiter sumptum:

« § 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa fuerit industria personae, facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo concessae competunt quoque Vicario Generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario Episcopali ».

Placet omnibus.

6. *Ad canonem 66, § 3*

Rev.mus Secretarius Adiunctus aestimat hanc paragraphum non respicere facultates habituales quae privilegiis aequiparantur, et hanc normam tradendam esse ubi agitur de facultate dispensandi.

Rev.mus quidam Consultor e contra censem hanc paragraphum servandam esse: hic agitur de facultatibus quarum naturam nescimus.

Rev.mus alter Consultor declarat mentionem dispensationis esse exemplum tantum, sed normam esse latiorem.

Rev.mus Secretarius Adiunctus affirms facultates habituales reduci non posse ad facultates dispensandi vel absolvendi.

Est Rev.mus Consultor qui aestimat hoc exactum non esse quando agitur de absolvendis poenis vindicativis quae per dispensationem remittuntur.

Alter Rev.mus Consultor affirms concessam facultatem secumferre alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae.

Tertius Consultor aestimat tertiam paragraphum canonis generaliorem habere utilitatem ed retinendam esse tamquam principium generale, sive in hoc loco sive in can. 200 § 1.

Quartus Consultor notat in can. 200 § 1 statui: « ea quoque intelliguntur concessa sine quibus eadem (potestas) exerceri non posse ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit textum novum, hoc modo:

« § 4 (3). Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare qui facultate habituali gaudet etiam potestate fruitur ea, si quae sint, removendi obstacula, quae gratiae assecutionem impediunt, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae ».

Aliam etiam formulam proponit: « Concessa ... necessariae; quare qui facultate habituali gaudet, etiam potestate fruitur ea, si quae sint, removendi obstacula quae gratiae assecutionem impediunt, sed ad effectum tantum gratiae consequendae ».

Alter Consultor textum proponit sequentem:

« § 4 (3). ... quare in ipsis facultatibus comprehenditur necessaria potestas removendi, si quae forte obstent, impedimenta (obstacula); sed ad effectum dumtaxat gratiam consequendi ».

Secundum quemdam Consultorem non est sufficiens locutio « si quae forte obstent impedimenta » sed aestimat adiungi debere verba « quae gratiae exsecutionem impediunt ».

Rev.mo Secretario Adiucto non placet formula Rev.mi prioris Consultoris ratione latinitatis; proponit formulam: « ... quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit ea, si quae sint, removendi obstacula quae gratiae assecutionem impediunt, sed ad effectum dumtaxat gratiae consequendae ».

Consentient omnes.

7. *Ad canonem 67*

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet normam esse superfluam, quia habetur in can. 49.

E contra est Consultor qui aestimat hunc canonem utilitatem practicam habere pro interpretatione privilegiorum et ideo servandum esse.

Adest Rev.mus alter Consultor qui et ipse putat hunc canonem servandum esse ad ostendendum privilegium aestimandum esse quatenus tenor eius sese extendit et amplius non extendi quam privilegii verba sonant.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit eandem regulam canonis 67 de privilegiis, inveniri in canone 49 ubi de interpretatione rescriptorum agitur.

Ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem ponit utrum eadem regula repetenda sit etiam pro privilegiis.

Adest Consultor qui et ipse non videt differentiam inter canones 49 et 67 § 1.

At secundum Rev.mum alium Consultorem aliquantulum hoc principium « ex ipsius tenore aestimandum » etiam ab illis pro rescriptorum interpretatione statutis principiis recedere videtur. Aestimat autem et ipse rescripta habere rationem generis, privilegia vero rationem speciei.

Rev.mus Secretarius Adiunctus e contra declarat non esse differentiam inter canones 49 et 67 § 1 et legit canonem 62 ubi dicitur: « Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur idest canones de privilegiis ».

Ill.mus Consultor animadvertisit in can. 63 § 2 ubi agitur de possessione centenaria vel immemorabili, necessariam esse interpretationem circa limites et extensionem etc...

Est Consultor qui quaestionem ponit cur hunc canonem 67 Codificatores posuerunt, licet canonem 49 de rescriptis non ignorarent.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut fiat coniunctio inter canones 67-68 ita ut textus sic sonet: « Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49-50, sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur ».

Placet omnibus.

IV
DISCEPTATIO DE NOVO TEXTU
(cann. 63, 66, 67, 68)

Rev.mus Secretarius Adjunctus proponit novum textum canonum 63, 66, 67, 68, et Consultorum sententiam de iisdem exquirit.

Canon 1 (63)

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi possunt.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Canon 2 (66)

§ 1. Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo, aliisve eidem iure aequiparatis, ab Apostolica Sede concessae, non perimuntur resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exequi coepertit, sed transeunt ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa fuerit industria personae, facultates habituales a Sancta Sede Episcopo concessae competit quoque Vicario Generali atque, intra fines suaे competentiae, Vicario Episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare qui facultate habituali gaudet etiam potestate fruitur ea, si quae sint, removendi obstacula, quae gratiae assecutionem impediunt, sed ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

vel: quare concessa facultas habitualis includit etiam potestatem ea, si quae sint, removendi obstacula quae gratiae assecutionem impediunt, sed ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

Canon 3 (67-68)

Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti.

1. Ad canonem 1 (63)

Est Ill.mus Consultor qui aliquam difficultatem habet circa formulam « in favorem certarum personarum »; attamen, canon placet omnibus uti est.

2. Ad canonem 2 (66)

Rev.mus Consultor aestimat non necessariam esse formulam « a Sancta Sede concessae », in secunda paragrapho. Tolluntur verba « a Sancta Sede ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem ponit utrum dicendum sit « fuerit » vel « sit », in tertia paragrapho.

Rev.mus Consultor proponit ut verbum « fuerit » in tertia paragrapho deleatur quia pleonasticum videtur.

Consentient omnes ut textus maneat deleto verbo « fuerit » in tertia paragrapho.

3. Ad canonem 2 (66), § 4

Concordant omnes ut textus maneat deleta particula « sed » secundum suggestionem Rev.mi cuiusdam Consultoris.

4. Ad canonem 3 (67-68)

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit se dubitare utrum post verbum « videantur » ponendum sit verbum « habere » necne.

Ill.mus Consultor proponit ut deleatur phrasis « ex indulgentia concedentis ».

Concordant omnes.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut loco ultimae phrasis « ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti » dicatur tantummodo « revera gratiam consequantur »:

« Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur ».

Consentient omnes de hoc novo textu can. 3 (67-68).

V

CONTINUATIO RECOGNITIONIS CANONUM DE PRIVILEGIIS
(cann. 69-79 C.I.C.)8. *Ad canonem 69*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut canon deleatur quia norma iam data est in capite de rescriptis.

Consentient omnes.

9. *Ad canonem 70*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut dicatur « praesumitur » loco « censendum », quia « censeri » significat « iuridice habere pro ».

Rev.mus Consultor concordat in vocabulo « praesumendum » loco « censendum ».

Placet omnibus haec emendatio.

10. *Ad canonem 71*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hunc novum textum « Privilegia cessant per revocationem superioris ad normam praescripti canonis 60 ».

Placet omnibus.

11. *Ad canonem 72 §§ 1 et 2*

Consentient omnes ut maneat uti est.

12. *Ad canonem 72 § 3*

Rev.mus Consultor aestimat hunc canonem servandum esse quia clare determinare oportet privilegio pro communitate concessso renuntiare privatis personis non licere.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut dicatur « Concesso aliqui *personae morali*, dignitati... ».

Concordant omnes.

13. *Ad canonem 72 § 4*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hanc novam formulam: « Nec licet privilegio renuntiare si cedat in Ecclesiae aliorumve praedium ».

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut paragraphus 3^a cum paragrapo 4^a refundatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hunc novum textum pro § 4:

« Nec ipsi personae morali integrum est privilegio sibi concessso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium ».

Placet omnibus.

14. Ad canonem 73

Omnis consentiunt ut textus remaneat uti est.

Tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem generalem ponit utrum quod pro rescriptis iam dictum est repetendum sit etiam pro privilegiis necne.

Quidam Rev.mus Consultor necessitatem videt componendi ea quae dicta sunt in rescriptis cum iis quae in privilegiis dicenda sunt, sed aestimat quaestionem ulterius dirimi posse.

15. Ad canonem 74

Rev.mus Consultor proponit ut hic canon post canonem 70 ponatur.

Alter Rev.mus Consultor proponit ut canon 74 componatur cum canone 70, hoc modo:

« Privilegium, nisi aliud constet, praesumendum est perpetuum illudque personale personam sequitur et cum eadem extinguitur ».

Quidam Consultor proponit ut prima pars huius canonis cum canone 70 ponatur. Altera vero pars canoni 75 adiungatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut canon 74 canonibus 70 et 75 adiungatur ita ut sit novus canon cum tribus paragraphis. Aestimat ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus in prima paragrapo dicendum esse quod privilegium natura sua est perpetuum, in secunda paragrapo ponendam esse normam de privilegio personali, deinde in tertia paragrapo ponendam esse normam de privilegio reali, ita ut unus canon ex tribus §§ componatur, sequenti modo:

Canon 74

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, et cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Quidam Rev.mus Consultor proponit ut in can. 75, loco « quinquaginta annos », ponatur « vigintiquinque (25) annos ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit quod brevius tempus esset in damnum privilegiati.

Rev.mus Consultor aestimat in privilegio reali de mobilibus agi et in privilegio locali de immobilibus, et aestimat praferendum esse longum tempus.

Concordant omnes Consultores ut canones 70, 74, 75 in unum componantur, iuxta proposita.

16. *Ad canonem 76*

Est Rev.mus Consultor qui animadvertisit non clarum apparere saltem sibi, curnam, ad effectus de quibus in eodem canone (cessationis, nempe, privilegiorum, in aliorum gravamen cedentium, per non usum vel usum contrarium) una tantum (legitiman praeter praescriptionem) nominetur renuntiatio, ex parte privilegiatorum, renuntiatio, scilicet, *tacita*; curnam et illa explicita, vel expressa eundem non induceret effectum. Proponit igitur ut dicatur « renuntiatio *saltem tacita* ».

Alter Rev.mus Consultor declarat Codicem tractare de explicita renuntiatione in can. 72 §§ 1 et 2.

Respondet prior Consultor quod in canone 72 § 2 non dicitur quomodo quis renuntiare possit.

Rev.mo cuidam Consultori videtur opportunum esse modum cessationis « per tacitam renuntiationem » tollere quia difficile est hanc tacitam renuntiationem probare, quando possessor privilegii oppositionem facit.

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet quod si quidem agitur de renuntiatione, ex ipsa natura rerum quaedam conditiones exiguntur, ut valida sit renuntiatio; requiritur ut agatur de privilegio cui renuntiari possit, et personae sint habiles ad hanc faciendam renuntiationem (can. 72) servatis conditionibus specialibus, si quae sint.

Est Consultor qui aestimat in hoc canone sermonem esse faciendum tantum de tacita renuntiatione, quia post phrasim « per non usum vel per usum contrarium privilegia aliis haud onerosa non cessant... » sequi non potest mentio explicitae renuntiationis.

Rev.mus Secretarius Adiunctus declarat renuntiationem sive tacitam sive explicitam non valere nisi a Superiore competenti acceptetur.

Unus e Consultoribus putat de tacita renuntiatione tantum agendum esse, cum de privilegiis onerosis agatur, quia privilegia non onerosa nec per non usum nec per usum contrarium cessant.

Rev.mus Consultor censet tacitam renuntiationem adesse quando quis privilegio non utatur, explicitam vero adesse renuntiationem si quis clare privilegio renuntiat.

Alter Rev.mus Consultor aestimat non agi de explicita renuntiatione quando agitur de « non usu ».

Iuxta tertium Consultorem quaestio est quando incipiat « non usus » alicuius privilegii.

Quartus Consultor putat in tacita renuntiatione non requiri competentis auctoritatis approbationem.

Quintus Consultor aestimat primum casum, idest legitimam praescriptionem, numquam verificari quia huiusmodi privilegia praescriptione tolli non possunt cum nemini positivum onus imponant.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit solum non usum vel usum contrarium, nisi aliae circumstantiae accedant, non esse sufficiens signum atque argumentum tacitae renuntiationis.

Secundum Rev.mum quedam Consultorem tacita renuntiatio ex adiunctis eruitur.

Est Consultor qui censet tacitam renuntiationem haberi quando ex circumstantiis, in foro externo, de animo renuntiandi privilegio constare posset.

Rev.mus Secretarius Adiunctus aestimat tacitam renuntiationem clare elucidi debere ex circumstantiis externis. Ipse proponit ut textus maneat uti est in Codice.

Consentiant omnes.

17. Ad canonem 77

Ill.mus Consultor proponit ut duae paragraphi ex canone 77 componantur quia duae causae cessationis diversae attenduntur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus consentit cum suggestione prioris Consultoris sed proponit ut ordo duarum partium canonis invertatur ita ut § 1 sit: « cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero cassum ... », et § 2 sit: « Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita... ». Ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit etiam ut loco « iudicio Superioris » dicatur « iudicio Auctoritatis competentis ».

Consentiant omnes.

18. *Ad canonem 78*

Rev.mus quidam Consultor proponit ut distinctio fiat inter privilegia ab Ordinario loci concessa et privilegia a Sancta Sede concessa; ab iis quae ab Ordinario conceduntur, potest ipse Ordinarius privare; si vero agatur de iis quae a Sancta Sede concessa sunt, Ordinarius monere debet Sanctam Sedem.

Alter Consultor aestimat quod Ordinarius vel Superior, antequam Sanctam Sedem certiorem faciat, monere debet subditum ne privilegio abutetur; praeterea proponit ut initio canonis haec phrasis adiungatur; « si quis, spreta monitione Superioris ... ».

Tertius Consultor proponit ut ita dicatur « si quis abutitur potestate ..., Ordinarius, praemonito frustra privilegiario, Sanctam Sedem certiorem faciat ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus affirmat, si quis abutitur privilegio ab Ordinario concesso, Ordinarium privilegium revocare posse sine recursu ad Sanctam Sedem.

Est Consultor qui animadvertisit Ordinarium iure suo uti, si privilegium contra legem suam concessum revocat.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut distinguatur inter privilegia ab Ordinario concessa et privilegia a Sancta Sede concessa.

Rev.mus Consultor qui supra notat privilegia non dari tantummodo ab Ordinariis sed ab auctoritate competenti.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit semper distinguendum esse inter Ordinarium et Sanctam Sedem quando agitur de abusu.

Instat Consultor dicendo non solummodo ordinarios dare posse privilegia e. g. nuntium, qui non est ordinarius, dare posse privilegia.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet quaestionem de nuntio esse diversam, quia nuntius habet tantum potestatem delegatam.

19. *Ad canonem 79*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut canon 79 valeat pro omnibus privilegiis non tantummodo pro illis quae Sancta Sedes concedit.

Rev.mus Consultor aestimat nihil animadvertisendum esse circa hunc canonem, clarus cum sit ac utriusque fori naturae conveniens.

Censet tamen, technicae legislativae normis consideratis ad hanc breviorem reduci ipsum canonem posse redactionem, scil.: « Privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro interno suffragantur, in foro autem externo legitime evinci debent ».

Alter Consultor animadvertisit oraculum vivae vocis sensu proprio, efficaciam de se habere in foro conscientiae et, ut in foro externo valeat, probationem concessionis requiri.

Tertius Consultor proponit ut phrasis adiungatur « *praesertim* ad-versus quemquam in foro externo vindicare ... ».

Rev.mus Consultor petit quandonam probatio concessionis facienda sit.

Respondet alter Consultor adiungi posse « *praesertim* ad-versus quemquam in foro externo vindicare, *quoties id necessarium sit* ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet probationem concessionis privilegii requiri, quando quis utitur privilegio ad-versus alium qui potest detrimentum exinde habere.

Est Consultor qui proponit ut ita dicatur: « ... in foro autem externo legitime evinci debent, *quoties ipsa privilegia alicui onerosa essent* ».

Alius Consultor proponit ut ita dicatur: « ... in foro autem externo legitime evinci debent *quoties probatio legitime petitur* ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut canon servetur uti est, quia est clarus, demptis tamen verbis « a Sancta Sede ».

Est qui putat vocabula « nemo et nisi » therminologicam confusio-nem creare.

Rev.mus Consultor proponit ut dicatur: « ... in foro externo probari debet *quoties legitime petatur* ».

Idem Consultor proponit ut dicatur « in foro interno », non autem in « foro conscientiae ».

Rev.mus alter Consultor aestimat canonem ubi quaestio est de usu antea iam esse ponendum.

Rev.mus Secretarius Adiunctus textum proponit qui ab omnibus Consultoribus probatur:

« Quamvis privilegio oretenus sibi concessso quis in foro interno uti possit, tenetur illud in foro externo probare, *quoties id legitime ab eo petatur* ».

Proponit ut canon ponatur post can. 69, ante canones qui de ces-satione agunt.

Omnes consentiunt.

VI

NOVUS TEXTUS CANN. 63-79 CODICIS
A REV.MO SECRETARIO ADIUNCTO PROPOSITUS

Canon 1 (63)

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent.

vel: Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius certis personis physicis aut moralibus factae, sive directe, sive indirecte ratione scilicet alicuius dignitatis, rei vel loci, a sola auctoritate competenti concedi valent.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Canon 2 (66)

§ 1. Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo, aliisve eidem iure aequiparatis, a Sancta Sede concessae, non permuntur resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exequi cooperit, sed transeunt ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Sancta Sede Episcopo concessae competit quoque Vicario Generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit ea, si quae sint, removendi obstacula quae gratiae assecutionem impediunt, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

Canon 3 (67-68)

Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

Canon 4 (79)

Quamvis privilegio oretenus sibi concesso quis in foro interno uti possit, tenetur illud in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur (sive a Superiore sive ab eo adversus quem eodem utitur).

Canon 5 (70, 74, 75)

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Canon 6 (71)

Privilegium cessat per revocationem Superioris ad normam canonis 60.

Canon 7 (72)

§ 1. Privilegium cessat per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Concesso alicui personae morali, dignitati locove renuntiare privatis personis non licet.

vel: Concesso alicui personae morali, aut ratione dignitatis, loci vel rei, renuntiare privatis personis non licet.

§ 4. Nec ipsi personae morali integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Canon 8 (73)

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula: *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti.

Canon 9 (76)

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

Canon 10 (77)

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus fuit concessum, firmo praescripto canonis 207, § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adjuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxiū evaserit aut eius usus illicitus fiat.

Canon 11 (78)

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa privilegio ipso privari meretur; quare graviter abutentem Ordinarius privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit a Sancta Sede, eamdem Ordinarius monere tenetur.

VII

DISCEPTATIO DE NOVO TEXTU CANONUM 63-79 C.J.C.
A REV.MO SECRETARIO ADIUNCTO PROPOSITO

1. *Ad canonem 1 (63) § 1*

1) Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit duplēm redactionem canonis.

Est Rev.mus Consultor qui declarat se praeferre primam redactionem quia clarior et minus analytica est quam secunda.

Rev.mus alter Consultor declarat se praeferre primam redactionem etiamsi putat eam imperfectam esse, quia secunda redactio nimis analytica et doctrinalis videtur.

Ill.mus tertius Consultor censem secundam redactionem praeferendam esse, aliqua verba mutando.

Rev.mi duo Consultores proprium suffragium ferunt pro prima redactione, quia aestimant secundam redactionem nimis doctrinalem.

Rev.mi Secretarius et Socius proprium suffragium ferunt pro secunda redactione.

2) Maioritas Consultorum est in favorem primae redactionis.

Paragraphus 2a huius canonis placet omnibus uti est.

2. *Ad canonem 2 (66)*

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem ponit utrum Conferentiae Episcoporum possint concedere facultates habituales Episcopis.

Rev.mus Consultor animadvertisit Conferentiam Episcopalem potestatem exexecutivam per se non habere, secus ac Episcopi et Sancta Sedes.

Rev.mus Secretarius Adiunctus declarat alias esse posse auctoritates, quae facultates concedere valent, v.g. Metropolitas, et se refert ad Decr. *Christus Dominus*, n. 8 b.

Ill.mus Consultor proponit ut verba « Sancta Sede » supprimantur, quin aliud verbum adiungatur.

Alter Consultor animadvertisit dicta in § 3 de Vicario Generali non valere quando facultates habituales concessae sunt Superiori Maiori qui easdem facultates proprio Vicario delegare non potest; ratio est quia non omnes Superiores Maiores sunt Ordinarii.

Rev.mus tertius Consultor declarat Superiores Maiores qui Ordinarii non sunt, speciali concessione gaudere. Proponit ut dicatur « Episcopo, aliisve Ordinariis ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hanc formulam: « Episcopo, aliisve concessae ».

Rev.mus Consultor consentit et declarat sufficiens esse dicere « aliisve concessae »; ratio haec est: sunt qui facultates habituales habent at potestate exexecutiva non fruuntur.

Alter Consultor proponit hanc formulam: « Episcopo aliisve regimen exercentibus ».

Est Rev.mus Consultor qui vero proponit haec verba: « Ordinario aliisve Superioribus ».

Quidam e Consultoribus animadvertisit sensum vocabuli « Ordinarius » potius restringendum esse.

Tandem Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit hanc novam formulam: « Episcopo aliisve Ordinariis ».

Consentient omnes.

Ad § 4 eiusdem canonis animadvertisit Rev.mus Consultor ter pronomen « quae » iteratum esse ita ut paragraphum non bene sonare videatur, propterea proponit ut ultimum pronomen « quae » in textus paragraphi tollatur.

Est denique Rev.mus quidam Consultor qui proponit ut locutio: « ... quae gratiae exsecutionem impedit » hoc modo mutetur « gratiae exsecutionem impedientia ... ».

Placet omnibus.

3. *Ad canonem 3 (67-68)*

Approbatur textus canonis.

4. Ad canonem 4 (79)

Rev.mus Consultor proponit: 1) abolitionem parenthesis (sive a Superiori sive ab eo ... etc.); 2) ut canon in titulum de rescriptis, post canonem 24, transferatur.

Concordant omnes.

5. Ad canonem 5 (70, 74, 75)

Ill.mus Consultor proponit ut in § 3 ponatur aliqua definitio de privilegio reali et suggerit hanc formulam: « Privilegium reale; — quod ratione rei vel loci personae conceditur ... etc. ».

Rev.mus Consultor declarat non necessariam esse definitionem ab Ill.mo Consultore propositam quia canon clarus videtur.

Concordant omnes ut paragraphus uti est maneat.

6. Ad canonem 6 (71)

Est Consultor qui aestimat meliorem esse locutionem « Auctoritatis competentis » loco « Superioris ».

Alter Consultor proponit autem locutionem « competentis Superioris » quae omnibus placet.

7. Ad canonem 7 (72)

Omnibus placet secunda redactio.

Quidam proponit abolitionem locutionis « aut ratione dignitatis ». Non consentiunt alii Consultores.

Alter Consultor proponit ut post verbum « concesso » ponatur particella « autem ».

Consentient omnes.

8. Ad canones 8, 9, 10 et 11

Approbatur textus horum canonum.

9. Ad canonem 11 (78)

A Rev.mo Secretario Adjuncto proponuntur emendationes, scilicet:

1) « ... quare Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet ... »; ratio est quia plures scriptores affirmant Ordinarium teneri ad privilegiarium monendum.

2) Ut loco « monere tenetur » ponatur locutio « certiorem facere tenetur ».

Concordant omnes.

VIII
DISCEPTATIO DE CANONUM ORDINE

1. *Ad canonem 4 (79)*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut hic canon in titulo de rescriptis post canonem 24 novae redactionis transferatur ubi agitur de usu privilegiorum.

E contra alter Consultor proponit ut hic canon transferatur in parte generali tituli De rescriptis ubi de variis speciebus rescriptorum sermo fit, vel ubi agitur de omnis gratiae dispensatione.

Excepto Consultore de quo supra, omnes Consultores concordant cum suggestione Rev.mi Secretarii Adiuncti, qui proponit ut canon hic transferatur ubi agitur de rescriptis, in fine, post canonem 24 novae redactionis.

2. *Ad canonem 6 (71)*

Quidam Consultor proponit ut canon 6 supprimatur.

Alter vero censet hunc canonem, pro momento, manere posse quia relationem habet cum aliis canonibus qui sequuntur.

Ill.mi quinque Consultores declarant canonem servandum esse, quia videtur conveniens.

3. *Ad canonem 7 (72)*

Rev.mus Secretarius Adiunctus normam huius canonis valere de omnibus gratiis, sed sensum non habete pro dispensatione, ergo servari posse sub hoc titulo de privilegiis.

Consentiant omnes.

4. *Ad canonem 8 (73)*

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet hunc canonem continere normam quae de rescriptis habetur, sed alio modo enuntiatam.

Omnes Consultores consentiant ut in hoc loco remaneat.

5. *Ad canonem 9 (76)*

Maneat in hoc loco, secundum omnes.

6. Ad canonem 10 § 1 (77)

Rev.mus Secretarius Adjunctus notat normam huius canonis iam haberi in canone de delegatione, sed eam de dispensatione non valere.
Ergo manere debet, secundum omnes.

7. Ad canonem 11 (78)

Manere debet in hoc loco, secundum omnes.
Ita explicit materia in hac sessione tractanda.
Determinatur materia in proxima sessione huius coetus tractanda,
scilicet: recognitio canonum de dispensationibus.

IX

TEXTUS DEFINITIVUS CANONUM DE LEGIBUS ET DE CONSuetudine

(cann. 8-30)

Titulus I: DE LEGIBUS

Canon 8

Leges instituuntur, cum promulgantur.

Canon 9, § 1

Leges Ecclesiae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. (*textus propositus*). Earundem legum textus tempore opportuno communicabitur cum omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter religiosos respiciunt, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis divulgari valeant; textus autem ne divulgetur, nisi postquam leges ad normam § 1 promulgatae sunt.

§ 3. Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

Canon 10

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Canon 11

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

Canon 12

Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

Canon 13

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non videntur, eximuntur omnes illi qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Canon 14

§ 1. Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1º Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2º Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae videntur in loco in quo versantur.

Canon 15

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam Suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

Canon 16

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium, sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuant vel tollant, licet a culpa excusare

possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non presumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Canon 17

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eadem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declareret tantum, promulgatione non eget et valet retrosum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et promulgari debet.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Canon 18

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Canon 19

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Canon 20

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda sumatur attentis legibus latis in similibus; generalibus iuris canonici principiis cum aequitate servatis; iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae; communis constantique doctorum sententia.

Canon 21

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

Canon 22

Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, (firmo praescripto can. 6, n. 1), lex universalis minime derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Canon 23

In dubio revocatio legis praesistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Titulus II: DE CONSuetudine*Canon 25*

In Ecclesia ea tantum consuetudo a communitate christiana introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 26

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis. Consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Canon 27

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipienda capace servata fuerit.

Canon 28

Nisi a competenti legislatore, consensu saltem tacite manifestato, specialiter fuerit probata, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canonicam que clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Canon 29

Consuetudo est optima legum interpres.

Canon 30

Firmo proposito can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

X

TEXTUS DEFINITIVUS CANONUM 36-62

Titulus IV: DE RESCRIPTIS

Canon 1 (novus)

Quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

Canon 2 (36)

§ 1. Rescripta a quacumque auctoritate, intra fines suee competentiae agente, impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

(§ 2. Gratiae omne genus a competenti auctoritate concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. ... etc.).

N.B. Haec altera § utrum servanda sit necne, definietur attentis praescriptis iuris poenalis recogniti, in specie can. 2265, § 2, 2275, in. 3, 2283).

Canon 3 (37)

Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Canon 4 (38)

Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto executore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

Canon 5 (39)

Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Canon 6 (40-42)

§ 1. Validitati rescriptorum obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen rescripta « motu proprio » data sint.

§ 2. Item validitati rescriptorum obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutior, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

Canon (45)

Hic canon includitur in can. 6 § 1.

Canon 7 (43)

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Summum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum fuit.

Canon 8 (44)

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratia a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus, salvis praescriptis §§ 2, 3.

§ 2. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario Generali vel Vicario Episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari (cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 4).

Canon 9 (46)

Rescripta, etiam *Motu proprio* concessa, personae de iure communii inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Canon 10 (47)

Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel redubitatio.

Canon 11 (48)

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrantur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impecrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad resribentes.

Canon 12 (49)

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

Canon 13 (50)

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Canon 14 (51)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impecrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipiatur,

aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oporteat.

Canon 15 (52)

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Canon 16 (53)

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.

Canon 17 (54)

§ 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifesto appareat rescriptum esse nullum vel sustineri non posse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas; si tamen is in cuius favorem rescriptum est concessum adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio, exsecutor exsecutionem intermittat atque de re statim certior rem faciat rescribentem.

§ 2. Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere aut denegare.

Canon 18 (55)

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditio nes essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Canon 19 (56)

Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Canon 20 (57)

Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria

personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Canon 21 (58)

Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt, etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Canon 22 (59)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.

Canon 23 (novus)

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concessso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Canon 24 (79)

Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

(Hic canon excerptus est ex tit. de privilegiis).

Canon 25 (60)

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem Superioris effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius resribentis.

Canon 26 (61)

Per cessationem resribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Canon 27 (62)

Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

XI

NOVUS TEXTUS CANONUM 63-79 C.J.C.
A REV.MO SECRETARIO ADIUNCTO PROPOSITUS

Titulus V: DE PRIVILEGIIS

Canon 1 (63)

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Canon 2 (66)

§ 1. Facultates habituales quae conceduntur aut in perpetuum aut ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo aliisve Ordinariis concessae, non perimuntur resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exequi cooperit, sed transeunt ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo concessae competunt quoque Vicario Generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario episcopali.

§ Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit removendi obstacula, si quae sint, gratia executio nem impedientia, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

Canon 3 (67-68)

Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

Canon 4 (79)

Quamvis privilegio oretenus sibi concesso quis in foro interno uti possit, tenetur illud in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

(Hic canon estne transferendus sub titulo De rescriptis post can. 23?).

Canon 5 (70, 74, 75)

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Canon 6 (71)

Privilegium cessat per revocationem competentis Superioris ad normam can. 60.

Canon 7 (72)

§ 1. Privilegium cessat per renuntiationem a competente Superiori acceptatam.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Concesso autem alicui personae morali, aut ratione dignitatis loci vel rei, renuntiare privatis personis non licet.

§ 4. Nec ipsi personae morali integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Canon 8 (73)

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula: *ad beneficium nostrum*, vel alia aequipollenti.

Canon 9 (76)

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

Canon 10 (77)

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus fuit concessum, firmo praescripto can. 207 § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxiun evaserit aut eius usus illicitus fiat.

Canon 11 (78)

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa privilegio ipso privari meretur; quare Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit a Sancta Sede, eamdem Ordinarius certiorum facere tenetur.

